

Pertinet & ad hoc genus causæ bilis parcior, quæ ad intestina fertur, quæ quum nequeat expultricem vim satis irritare, facit, ut diutius in ventre morentur excrementa. Est & in hoc genere causæ retenti-
 uæ facultatis robur, & propultricis infirmitas. Hæc enim longioris retentionis causæ sunt; longior
 autem retentio maioris distributionis, hæc autem humorem absumit, qui immediata causa est exsicca-
 tionis alui. Quinetiam venarum latitudo, per quas permeat humor, causa est cum qua distributio fa-
 cilior fiat. Cæterum attrahit ad se humorem plus quàm oportet à ventriculo, & intestinis hepar, vel
 ob naturalem aliquem affectum, vel præter naturam; vel quòd impellatur ab alijs causis, quum ipsum
 interim non labore. Est autem naturalis affectus magnitudo hepatis, & calidior, sicciorque secun-
 dum naturam temperies. Nam magnum hepar copioso cibo opus habet. Quo fit, ut si illius ma-
 gnitudini non respondeat ventriculus in cibo assumendo, & conficiendo, excrementa sicciora red-
 dantur: quum scilicet hepar illorum humorem ad sui nutritionem avidius rapit. Sic quibus hepar cali-
 dius, sicciusque est, ferè fit, ut illis aluus adstringatur, quoniam attrahitur continuè humor ad hepatis
 humectationem, refrigerationemque. Cæterum inflammationes eiusdem visceris; erysipelata, & cæ-
 teri affectus calidi, & sicci præter naturam, eadem ratione aluum exsiccant. Iam verò aquilonia con-
 stitutio, febres, urinæ profluuium, sudores copiosi, aliæque excretiones naturæ modum excedentes, re-
 liquarumque partium, quæ post hepar in corpore sunt collocatæ, affectus calidi, & sicci, aluum exsicca-
 re putantur, quòd quum plurimum humoris ab illis consumatur, cogatur hepar successione quadam
 ventriculum, & intestina exsugere. Cæterum humidioris alui causa est copiosior humor cum excre-
 mentis mixtus, hic autem humor adest, vel quòd aliunde adueniat, vel quòd nō satis absumatur; quòd
 moderatum est. Suppeditatur sanè aliunde, vel quòd assumatur, quo modo cibi humidiores, aut co-
 piosiores, aut varij; sic & potus aluum humidiorum reddunt; vel quòd aliunde influat: qua ratione ex-
 crementa à supernis partibus ad ventrem delata aluum humectant. Sic enim febres colliquantes,
 quæ humores fundunt, capitisque intemperies, quæ fluxiones ad inferiores partes excitant, ventris ex-
 crementa præter modum humectare, copiosioraque reddere creduntur, vel quòd immittatur; ad quòd
 genus astringæ constitutiones, & pluuiosæ pertinent, quæ quoniam extrinsecus immittunt superfluum
 humorem, aluos humefacere à medicis dicuntur. Cæterum non satis absumitur humor assum-
 ptus, vel quòd partes, in quibus continetur, frigidiores, humidioresque sint; quo modo frigida,
 humidaque ventriculi, & intestinorum, intemperies excrementa alui reddunt humidiora, vel quòd
 non satis per corpus digeratur: id quòd contingit, vel quòd hepar non attrahat, quantum oportet;
 vel quòd ventriculus, & intestina non satis retineant, aut quòd viæ sint obstructæ, per quas humor ad
 hepar, reliquasque partes ferri debet. Atqui hepar deficit in attractione, vel quòd non stimuletur
 ad eam obeundam, vel quòd non stimuletur ad eam obeundam, vel quòd nequeat stimulum attra-
 here: id quòd euenit propter imbecillitatem natam ob debilitatum calorem, vel ob aliam insignem
 admodum intemperiem. Illud verò contingit, quando extremæ partes corporis, quæ hepar exhau-
 riunt, non admodum digeruntur, vel propter otium, aut externum frigus, aut ob alias causas, quæ
 externam superficiem densant, vel humorem haud quaquam extenuare, in vaporemque vertere no-
 queunt. Iam verò non satis retinet ventriculus, vel quòd retentrix facultas sit imbecilla ob intempe-
 riem humidam; vel ob aliam, quæ plurimum à mediocritate excesserit; vel quòd ipsa expultrix ante
 tempus excitetur. Id quòd fit, quum importunè stimuletur à multitudine materiæ, vel qualitate vel-
 licante; vnde ob bilem copiosiorum, quæ ad ventrem, & intestina mittitur, aluum humidam reddi
 credimus, aut quum retentrix potentia suum opus ante tempus deserit ob debilitatem ex intemperie
 natam, tunc enim cogitur expultrix insurgere & protrudere, quæ amplius retineri, & elaborari
 non possunt. Atque ex his exemplis intelligere poterit studiosus lector, quomodo inuestigandæ
 sint causæ aliorum omnium, quæ ad excreta, & retenta pertinere diximus. Quòd si quis exem-
 plum aliquod in vitiatis qualitatibus pariter requirat, breuiter illi satisfacere conabimur. Ponamus
 igitur aliquem flauo colore præter naturam præditum, huius profectò vna erit immediata, coniun-
 ctaque causa, humor biliosus, qui cuti subijcitur plusquam expediat copiosus: cuius rei causa est vel
 quòd huiusmodi humor plurimus gignatur, aut quòd à sanguine non expurgetur, sed vna cum illo
 per corpus distribuatur, & feratur; vel quòd ipsa bilis à sanguine secreta in eas partes moueatur. Por-
 rò plurima gignitur bilis, aut vitio materiæ, quæ assumitur, aut efficientis causæ: materiæ quidem
 calidæ & siccæ, aut parcioris, aut quæ suapte natura in eum humorem degenerare sit apta. Efficiunt
 verò bilem quædam in prima generatione, ut hepar, & uenæ præter modum excalescunt, & exsic-
 catur; alia verò eandem gignunt, posteaquam boni humores sunt procreati; idque vel in uniuerso
 corpore, quòd faciunt omnia, quæ insigniter calefaciunt, sicantque: tum illa quæ ob certam pro-
 prietatem sanguinem vitiant, atque in bilem degenerare cogunt, cuius generis uenena nonnulla esse
 dicuntur, quæ propterea regium morbum committere sunt comperta. Alia verò ex uniuersa massa
 bilem sibi moliuntur, quam excalescunt proprium nutrimentum corrumpunt. Sic igitur partes, quæ
 sunt in habitu corporis, cutisque ipsa malè affecta procreando biliosum humorem, ex affluente nutri-
 mento, flauum calorem sibi conciliant. At qui non expurgatur sanguis à bile, vel vitio facultatis non
 queuntis